

COLLOQVIVM SEXTVM


Persōnae: Mēdus, Iūlius, Dāvus, Syrus, Lēander, Ursus



Via Latīna est longa, sed Mēdus, quī viā Latīnā Tūsculō Rōmam ambulat, fessus nōn est, nam is ambulat ad Lȳdiam amīcam, quae Rōmae habitat. Lȳdia Mēdum amat et ab eō amātur.

Mēdus cantat: “*Nōn via longa est Rōmam...*”

Mēdus autem sōlus ambulat; itaque id quod cantat ā nūllō audītur.



Via quae est inter Tūsculum et villam Iūlii nō tam longa est quam via Latīna, sed servī quattuor quī Tūsculō ad villam ambulant fessī sunt, quia lectīcam et saccōs portant. Duo servī, Dāvus et Ursus, lectīcam cum dominō portant. Saccōs portant Syrus et Lēander.

Iūlius, quī lectīcā vehitur, servōs videt fessōs et imperat: “Pōnite lectīcam in viā, servī!”

Servī fessī lectīcam in viā pōnunt neque iam ambulant. Syrus et Lēander saccōs pōnunt.

Dāvus: “Phū! Via longa est ab oppidō ad villam!”

Syrus: “Nōn longa est via, sed saccī magnī sunt.”

Lēander: “Tuus saccus est parvus. Ecce saccus meus magnus! Dāvus autem lectīcam cum dominō portat, nōn saccum.”

Syrus: “Dāvus nōn sōlus, sed cum Ursō lectīcam portat.”

Ursus: “Neque vacua est lectīca! Dominus nōn tam parvus est quam saccus tuus, Syre.”

Iūlius, quī Dāvum fessum videt, imperat: “Iam saccum Syrī portā, Dāve! Urse, sūme saccum Lēandrī! Agite, Syre et Lēander, lectīcam portāte!”

Servī pārent: Dāvus et Ursus saccōs sūmunt, lectīcam sūmunt Syrus et Lēander.

Iūlius imperat: “Ambulāte, servī!”

Iam rūrsus ambulant servī. Syrus et Lēander lectīcam cum dominō portant, et sacci portantur ab Ursō et Dāvō: Ursus saccum magnum portat, soccus parvus ā Dāvō portātur. Iam Dāvus nōn tam fessus est quam Syrus.

Syrus: “Phū! Via longa est ab oppidō ad vīllam!”

Dāvus rīdet.

Ursus (ad Dāvum): “Cūr nōn ambulat dominus post lectīcam?”

Dāvus: “Dominus fessus vehitur, nōn ambulat, quia nōn est servus.”

Ursus: “Et servī fessī ambulant, nōn vehuntur, quia dominī nōn sunt.”

Lēander: “Num fessus est dominus, quī lectīcā vehitur?”

Dāvus: “Tacē, Lēander! Dominus tē audit.”

Iūlius stertit: “Ssst–rrrch, ssst–rrrch...!”

Lēander: “Ecce dominus iam dormit, quia longā viā fessus est! Is mē nōn audit.”

Verba servōrum ā Iūliō nōn audiuntur, nam dominus fessus iam dormit in lectīcā! Dominus quī dormit ā servīs nōn timētur.